Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Aug. perg. 106

[S.l.], [10. Jh.]

Augustinus, De civitate Dei (XI.xxx, XII.xix)

urn:nbn:de:bsz:31-1316

pereuntibus uel tam ista fugiens casteque uiuens nesciens. Tamen quid sit nihil
quid informis materia quid formatum exanime quid corpus quid species in corpore
quid locus quid tempus quid in loco quid in tempore quid motus secundum locum
quid motus non secundum locum. quid stabilis motus quid sit aeuum quid sit
nec in loco esse nec nusquam. Quid sit praeter tempus & semper quid sit & nus
quam esse & nusquam non esse & numquam esse. & numquam non esse. Quisquis ergo ista
nesciens non dico de summo illo deo qui scitur melius nesciendo sed de anima
ipsa sua quaerere ac disputare uoluerit tantum errabit quantum errari plurimum
potest. Facilius autem ista cognoscet. qui numeros simplices atque intelle
gibiles conprehenderit porro istos conprehendet. Qui et ingenio ualens
& priuilegio aetatis aut cuiuslibet felicitatis otiosus & studio uehementer
incensus. memoratum disciplinarum ordinem quantum satis est fuerit persecutus.
Hoc dico planius atque breuius ad istarum rerum cognitionem neminem adspirare
debere sine illa quasi duplici sententia quasi bonae disputationis potentiaeque
numerorum. Si quis etiam hoc plurimum putat solius numeros optime
nouerit aut solam dialecticam. Hunc igitur ordinem tenens anima iam
philosophiae tradita primo seipsam inspicit & cui iam illa eruditio persuasit
aut suam aut seipsam esse rationem in ratione autem. aut nihil esse melius & po
tentius numeris aut nihil aliud quam numerum esse rationem. Quis enim ut alia
omittam auctionem numerorum mutabilem esse audeat dicere aut artem
quamlibet non in ista ratione constare. EX LIBRO CIUITATIS DEI
UNDECIMO SANCTI AUGUSTINI.

UNDE RATIO NUMERI CONTEMNENDA NON EST. QUAM IN MULTIS
sanctarum scripturarum locis quam magni existimanda sit lucet diligenter
intuentibus nec frustra in laudibus dei dictum est omnia in mensura & numero & pondere
disposuisti. ITEM DE DUODECIMA.

Et uero suis quisque numerus proprietatibus terminus ut nullus eorum par esse cuique
alteri possit. Ergo & dispares inter se atque diuersi sunt & singuli quique diuer
si sunt & singuli quique finiti sunt. & omnes infiniti sunt. Nec audebit isti
contemnere numeros & eos dicere ad scientiam dei non pertinere. apud quos Plato
deum magna auctoritate commendat mundum numeris fabricantem &
apud nos de deo propheta dicit. Qui profert numerose saeculum. & saluator
in euangelio capilli inquit uestri numerati sunt. EX LIBRO SE
CUNDO DE DOCTRINA XPIANA SANCTI AUGUSTINI.

IAM UERO numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est quod non sit
ab hominibus instituta sed potius indagata & inuenta non enim sicut
prima syllaba Italiae quam breuem pronuntiauerunt ueteres uoluit Uergilius
& longa facta est. Ita quisquam potest efficere cum uoluerit ut ter terna
aut non sint nouem aut non possint efficere. quadratam figuram aut non
ad ternarium numerum tripla sint ad senarium sesqua ad nullum dupla